

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☈ ☈

De unitate qua Christianae Fidei Dogmata inter se cohaerent (1)

Quemadmodum entis unum est principium, Actus scilicet Purus, ita et veritatis, quam intellectus humanus aut a Deo revelante immediate accipit, aut e rebus haurit per sui adaequationem cum ESSE, quod Actus Purus, rebus libere communicavit. Illud namque verum esse testamur, quod et sicuti est dicimus esse, et esse aliter nequit quam ut Actus purus, in se habens esse, eiusdem, divinis ideis exemplati, res participes efficit.

Hinc, iam a priori statuere licet, verum scitum vero revelato haudquaquam opponi, sed huic potius opponi, dicamus oportet quidquid falso et subiective creditur verum, dum a veritate maxime abhorret, quia non illud est quod Primum Ens rebus inesse voluit, sed quod in eisdem ponunt qui in errore versantur. Ponunt, inquam, qui Actui Purissimo creationem denegantes, eamdem sibi assumere videntur, dum illam sibi effingunt SUBCONSCIENTIAM, ex qua verum, et ideo ens producunt.

Quamobrem in omni veritate ratio unitatis, in omni errore ratio multiplicatatis deprehenditur: hinc enim intellectus omnis, obiectiva unitate veri onto-

logici, cogitur id unum accipere quod adest, ut adaequatio habeatur, inde autem, obiectiva unitate veri ontologici dempta, — quum res non fiant quod intelligimus, sed potius intellectus fiat secundum id quod res sunt — cum subiectivismi libertate subiectorum sententiae de una eademque re multiplicantur, quae tamen nonnisi unum idemque, et non aliud, esse potest. De quibus profecto videtur quam maxime illud repetendum: « *Quot capita tot sententiae* ».

Nec minus haec conspiciuntur, quum de veritatibus revelatis, seu ob Dei revelantis auctoritatem credendis, agitur, sive in specie sive generatim considerentur: in hisce enim criterium certitudinis, trahens intellectum ad assensum, non est evidentia, quam intrinsecam vocant, seu coniunctio praedicati cum subiecto in ipsa utriusque natura deprehensa, sed ea, quae extrinseca appellatur, quia coniunctio illa in auctoritate revelantis conspicitur. Haud mirum igitur, si, avis agnosticis, parentibus reformatoribus, omnis generis rationalistae vere censeantur et sint filii nostrae huius aetatis, quibus aptantur illa Poëtae:

(1) Oratio habita studiis an. MCMXVI auspicandis in Athenaeo Seminarii Romani ad S. Ioannem in Laterano.

*Actas parentum peior avis tulit
Nos nequiores: mox datus
Progeniem vitiosiorem.* (1)

Doctrina, quam rationalismum vocant, omnes anteauctos errores in se comprehendens, atque eclectismi et pantheismi velut germina continens, dum frustra conatur quidquid supra naturam ad ipsa infima naturae reducere, ad hanc distinctionem iamdiu pervenit: «Verum scientificum vero dogmatico adversari potest».

Iam inter eos, qui in errore versantur, preimus illos qui Deum esse, saltem sub notione MOTORIS IMMOBILIS, ideoque ACTUS PURI, admittunt, ut in credentibus unitatem, dixerimus, harmonicam inesse, incredulos vero omnis unitatis seu cohaerentiae expertes esse evincamus. Quis enim Deum esse deneget? Iamvero, Deo admisso, sub notione MOTORIS IMMOBILIS, et ideo a creaturis, quae moventur, distincti, quis poterit Christianae Fidei veritates denegare, si sibi logice cohaerens esse velit? Itaque qui in errore versantur, atque in eodem tam rigorose quam funeste logici perseverant, fatentur non posse ideam Dei personalis cum negatione revelationis a Christo factae componi. Rem testatur vir, inter incredulos quam probatissimus auctor, Petrus Ioseph Proudhon, qui librum exaravit cui titulus: *De Iustitia in Rerum conversione et in Ecclesia*: «Si Deum credas, — inquit, — christianus catholicus esto: at si Deum neges, nega omnia: inter utrumque enim nonnisi ignorantiae et malae fidei locus est... Si Primum Ens admittis, ad Crucifixi pedes procumbe». (2)

In iustificatione quidem cum Spe et Caritate Fidem quoque accipimus, quae

proinde inter DONA SUPERNATURALIA, a Deo in hominem infusa, est recensenda: at Fidem docemur a Conc. Vaticano NON COEGUM esse ANIMI MOTUM, sed potius, ex Apostoli sententia, RATIONABILE OBSEQUIUM, (3) ad quam scilicet, praeiudicatis opinionibus amissis, ratione duce pervenimus, dum ex ratione credibilitatis criteria hauriuntur, atque ita eadem ratione fulciuntur, ut sine QUA Fidei non sit valedicendum. Quod si ita res se habet, facile conspicitur quanti sit, harmonica dogmatum unitate posita, ita evincere omnis unitatis vel cohaerentiae defectum apud eos qui in incredulitate versantur, ut non solum, sicut ait Apostolus, *inexcusabiles sint*, (4) verum etiam nihil ex ratione sumant quod contra dogmata logice urgeri possit. Ex ratione, inquam, non ex voluntate; eos enim omittimus *insipientes* qui *dixerunt in corde suo: non est Deus*, (5) quorum veluti analysim psychologicam et simul crism, evidentiorem per historiam, iamdiu his verbis sculpsit Apostolus, dum eos vocat *homines corruptos* — quasi causam —; *reprobos circa Fidem* (6) — quasi effectum indigitans.

Si Deus est Primus Motor Immobilis, quoniam esse et agere unum sunt in Eo, qui est ipsum esse, in Se, aliquis communicans, motum habens et esse, ideo est ACTUS PURUS. Quamobrem UNUS et SIMPLEX, quum in omni composite lateat partium ad totum, totiusque ad partes aptitudo, quam «potentiam» vocant, ut fit in eo qui alterius vel aliorum perfectiones in unum colligere vellet. Quum non sit in potentia ad aliiquid, est INFINITUS, totius scilicet entis

(3) Rom., XII, 1.

(4) Rom., I, 20.

(5) Ps., XIII, 1.

(6) 2 Tim., III, 8.

plenitudinem possidens; atque AETER-NUS, totius vitae simul perfecta posses-sione gaudens, aptitudinis expers ad suc-cessionem et finem durationis. Ob eam-dem rationem, ita est in SCIENTIA ET SAPIENTIA SUMMUS ut, nullam in Se admittens ad perfectiorem scientiam aptitudinem, vitalis actus atque intelli-gendi operatio unum idemque in Eo sint quam Eius Essentia, comprehensa ut causa efficiens et exemplaris omnium existentium vel possibilium, qua omnia unico actu infinito, omnibus actibus, qui cogitari possunt, aequivalenti, sine nova actus realitate, tamquam Suae Es-sentiae participationes vel participabi-litates, in qualibet differentia temporum et quomodolibet existentium, ab aeterno et perfectissime una simul intelliguntur.

Quum sit Actus Purus, Voluntas Eius unum idemque est cum Essentia et sem-per in actu SESE NECESSARIO VOLENS, quamvis obiecta extra Se existentia, ut contingentia neque ad bonum Eius ne-cessaria, esse possint, aut non, termini Eius Voluntatis. Quae nunquam a velle ad nolle transit, aut vicissim, quia sem-per in actu necessario vult Ipsum Esse, quocum unum idemque est.

Vere aurea, ut videtis, catena dogma-tum, cuius annuli ita logice vinciuntur, ut, qui primum admirerit, nonnisi contra rationem et logicen consequentia deneget, affirmans idem simul esse et non esse, ut si quis affirmet esse matrem et neget esse filium, matrem esse et si-mul non esse dicat. Re quidem vera, Mo-tor Immobilis, Actus Purus, Simplex, Unicus, Infinitus, Immutabilis, Aeternus, Omisciens, habetne an non naturam creatam et creabilem? Si habet, licet humanus intellectus, ob sui cum intel-ligibili Excelso improportionem, attin-gere non possit quomodo Deus sit in

Se, nonne ipsa logica cogetur admittere illud Ens esse in Se ratione, quam in-telligere haudquaquam possumus? Et si logica ultro cogit etiam admittere quod operari est secundum esse, iste intellec-tus finitus, licet attingere nequeat quo-modio reipsa Deus operetur, debetne an non admittere illud Ens operari modo, quem intelligere non possumus et qui-dem infinito? Quod si hoc negari ullo modo potest nisi a rationalista qui ra-tionali valedixerit, quo iure vel qua lo-gica negari possunt Fidei dogmata quae nos edocent quomodo Deus est in Se et operatur? Omnis sane difficultas, quae proponi potest, ad istum redit irrationa-bilem syllogismum: «Deus esse debet et operari secundum ea quae cognosco in me et circa me, et e quibus omnem sumo cognitionem. Atqui esse et ope-rari istorum non idem est quam esse et operari, quae in mysteriis dogmatibusque affirmantur. Ergo ista non sunt». Quis, admissis Deo motore immobili, Actu puro, infinito, et iis quae logice exinde sequuntur, concedat maiorem, quin sibi evidenter contradicat? Iste esset coeci-nati similis, qui assuetus prominentes corporum partes tactu discere, et istas nesciens naturae lege in speculo repro-duci, huius planam palpans superficiem, illas ibi fideliter effectas inesse negaret.

Illud potius incredulo rationalistae ius est et officium investigandi an de facto exstiterit revelatio — huius divinae ope-rationis ad extra semel admissa possi-bilitate ut consequentia logica eorum, quae praemisimus — an e. g. Christus sit persona historica, an revelaverit, an sit verus Deus, an Sui et ideo revelatio-nis divinitatem satis probaverit, et an haec omnia, artis criticae lumine per-pensa, cum historia et philosophia componantur. Quae postquam philosophicis

(1) HORAT., Carm., III, 6.

(2) *De la Justice dans la Revolution et dans l'Eglise*.

et historicis argumentis contra omnis generis rationalistas et modernistas sunt vindicata — ut re ipsa praestant theologi antequam captivent intellectum in obsequium Fidei — reliquum est, ad evincendam hinc unitatem dogmatum harmonicam, inde autem ad omnis constantiae atque unitatis defectum incredulis conspiciendum, ut, ducibus principiis nuper expositis, iis praesertim quae ad veri revealati communem fontem attinent, dogmata ipsa synthetice complectamur ac veluti uno conspectu sub oculis ponamus.

(*Ad proximum numerum*).

CYRIACUS PETROCCIA.

DE AESTHETICA

Aestheticae nomen, graeco idiomate ortum, idem sonat ac *sensibilis*; sed apud recentiores nomen hoc doctrinam seu scientiam pulchritudinis denotat, quasi pulchrum per gustum sentire soleamus. Hoc nomine primum usus est Alexander Baumgarten (1714-1762) ad designandam peculiarem pulchri scientiam. Quidquid fuerit de huius auctoris mente, qui « sensismo » favere visus est, nihil periculi in hac iam vulgata appellatione subesse arbitramur. Tractatio vero illa, quae in ludo litterario, seu in politioribus litteris tradi solet eloquentiae vel poësis auditoribus, vel quae summa praeceptorum continet ad tyrones exercendos in liberalibus artibus... absolute aesthetica haud est dicenda.

Aesthetica scientia est, et quidem nobilissima, utpote quae e principiis seu causis ex pulchri natura deductis ad conclusiones decurrit, ut pulchritudinem ipsam tutius assequamur, vel etiam producamus. Aesthetica una est ex philo-

sophiae partibus, quae tam arte inter se connectuntur, ut mirifice ad invicem sese dilucent et compleant. Sic quadruplex illa totius philosophiae divisio patet, nimurum philosophia realis seu Metaphysica, quae *ens*, idest rem, in se scrutatur; philosophia rationalis seu Logica, quae scrutatur *verum*; philosophia moralis seu Ethica, quae scrutatur *bonum*; philosophia aesthetica, quae scrutatur *pulchrum*.

Equidem pulchrum est aliquid distinctum a quacumque rerum proprietate ac notione, atque unice et directe ab aesthetica attingitur. Iure ergo meritoque aesthetica definitur: « Ea philosophiae pars, quae ultimas seu supremas pulchri rationes inquirit ».

Finis aestheticae is est: agere de pulchritudine in universum, id est eius intimam naturam, elementa, proprietates, relationes inquirere atque evolvere; agere de pulchritudine ut manifestetur in naturae operibus, atque a contemplatione pulchrarum rerum, quae undique conspiciuntur, in Pulchrum ipsum, absolutum aeternumque, adsurgere; praecepta generalia pulchrarum artium deducere et explicare, sive facultatem percipiendi ac producendi pulchrum exacuere et roborare; agere tandem de pulchritudine uti revelatur ope artis architectonicae, statuariae, pictoriae, musicae et poeticae. Denique ad hoc pertinet etiam cuiusvis artis ortum, evolutionem exponere et critice dijudicare, quae quamvis historiae sint propria, a cultore aestheticae negligi nequeunt.

Iucunditas atque aestheticae utilitas quam maxima sit nemo inficiabitur. Namque, utpote quaelibet scientia, nobiliorem partem hominis, nempe intellectum et voluntatem diversimode perficit; naturalibus hominis inclinationi-

bus satisfacit, (nemo est enim qui de pulchri contemplatione gaudere non cupiat), animos praesertim iuvenum sumopere excitat ad studium et profectum bonarum artium quae sunt optima hominum possessio et gloria; denique, quum maxima sit pulchritudinis vis ad voluntates humanas alliciendas, aesthetica suaviter morum honestatem religionisque cultum promovet. Quantopere igitur rei tam necessariae incuria in damnum vergat, nemo sanus non intelligit. Quin imo ad iuvenes quod spectat, qui in spem Ecclesiae adolescentur, vel maxime dedecet in hac praestantisima scientia haud esse versatos. Religio enim Christi, formosissima in se bonarumque artium altrix, ingentem totius pulchritudinis thesaurum cultoribus suis reserandum exhibit.

Neapoli.

G. LEPORE.



De futuris contingentibus ⁽¹⁾

Illa die ipse, septem imperitans populis, pugnabit adversus tres apud Bouleaux inter Ham Woeri et Dabernon. Malum erit tibi, gens orientis; tu enim dolorum voces emittes atque sanguinis. Namque nulla alia castrorum acies terribilior adparuit; nec unquam formidabilior armorum rumor in terris exauditus est. Ter enim sol super dimicantium capita transibit, neque ob nubila fumi videri poterit. Tandem dux ille victoriam retulerit: bini adversarii obtruncabuntur... Altera vero pars ad ultimum Orientem perget; et Willelmus, huiusc nominis secundus, erit novissimus rex Borusso-

rum. Ei enim Polonorum rex succedet, vel Hannoveri, vel Saxonie...». Haec aliaque id genus complura vel sunt iam eventu perfecta.

Anno millesimo octingentesimo septimo et octogesimo I. Strossmajer, Diacovi apud Croatos Episcopus, annuntians volumen Solciefi haec edidit: « Opus est in primis ut gens latina, sub ductu consilioque Gallorum, se se genti Illyricae coniungat, iuvenescenti, salubris sanguinis vegetae eiusdemque virtutis, atque ita a tumidis Germanis se in libertatem vindicet rerumque cupidis, qui nos in servitatem redigere admittuntur ».

Et alia etiam praeagia memorantur quae vulgo *muta* dicuntur, quaeque vulgus maximi aestimare solet hisce potissimum temporibus. Ne longior evadam, memorabo in Belgis, die vigesimasecunda mensis Iulii anno millesimo noningentesimo quarto et decimo, e turri Gand cecidisse famosum aes sacrum, cui nomen erat *Rolanda*, quod ab aliquot saeculis index erat Belgarum libertatis.

Hactenus de hariolis quibusdam sermo fuit, qui passim tempora respicientes res futuras praeagire autumarunt. In hisce vero haud defuerunt et intelligentis iudicii viri, qui scriptis atque sapientia vel apud exteris gentes magnum sibi nomen compararunt. Solemnis prae certeris est quod Henricus Heine tempore suo conscripsit. Iuvabit propterea eius ipsa verba latine exhibere: « Tempestas in Germania, — ait, — naturam gentis nostrae aliquando referet. Nondum est equidem exorta, sed nullatenus cunctanter e longe perstrepit, sed mox atrox adorietur... Quo tempore ruinosum eius fragorem auscultaveris, ut vero nunquam antea homines viderint, scies optime germanicum fulgor rem suam esse consecutum. Tunc ea clades fuerit

(1) Cfr. num. sup.

in Germania, ut ipse Gallicus tumultus ad eius complexum sit potius carmen blandissimum ».

Temporibus vero nobis viciniорibus, haud equidem scriptores defuerunt, qui plus minusve de futuris rebus, quae ipsis mox venturae viderentur, in universum praenotarint. Sic anno millesimo octingentesimo octavo et septuagesimo, Albertus Sorel, gravissimus in Gallis rerum scriptor, dicere haud dubitavit, Turcarum imperium mox esse casum et in suo lapsu perniciem allatum Augustae Austriae domui.

Complura me adhuc praeagia manarent, de quibus esset repetendum quae de se modestus *Tristium* cantor scripsit:

*Cunctaque, fortuna rimam faciente, dehiscunt,
Ipsa suo quodam pondere tracta ruunt.*

Quum vero incredibilis haec tot gentium lis, quae tam multa imperia amplectitur, et tot rerum hominumque viessitudines, adhuc sub iudice sit, atque omnino ab immanni militum congressu procedat, qui ei tot frontibus maximoque furore concurrunt, ne imprudens videar, ne divinum consilium ad hominum pravitatem redigam, ne ullum quidem verbum addam; remque tacitus expectabo, atque responsum, quod procul dubio, velint nolint homines vani atque superbi, omnibus admirantibus, mox Dominus verum atque inenarrabile dabit.

Haec habes, mi dulcissime Enni, quae mox ventura esse nonnulli censuerunt, atque in vulgo nunc et per compita ad leviorum hominum admirationem feruntur. Adest, inquam, rebus omnibus aeternus Moderator, qui cuncta consilio, sapientia ac mira sanctitate adeo vertit, ut ad suam gloriam mortaliumque salutem omnino quaeque procedant. Vale.

SUBALPINUS.

De Apulei scribendi genere eiusque in moribus fingendis virtute

RAPHAELI BALDI
amico et collegae carissimo.

Si omnes romanos scriptores evolo, qui vel permire res varias tractarunt, nullum fere invenio qui maiore in dandi genere festivitate ac lepore usus fuerit quam Apuleius; cuius tanta est peritia et calliditas in imaginibus effingendis et moribus exprimendis, ut illum iure dixeris hac in re palmam accepisse. Namque sic iucunde et lepide narrat, sic opportune eligit vocabula, sic modo simplici utitur sermone, modo tumido atque elato, ut nescio quasdam venustiores imagines ob oculos obversari arbitraris, quasi res in scaenam prodeat. In quo tota est virtus scribendi et colorandi sermonis. Sunt enim quaedam exquisitoria, quae forsan alios fugiat adnotare: Apuleius autem moratur in iis, quibus adhibitis, sermo fit mire novus ac proprius. Neque satis: diminutiva opportune usurpantur ad vel minimas cogitationes adumbrandas, ut facta quaedam vocabula, quibus uti solet auctor, ut rem mirum in modum exornet. Apparet hinc illud facetissimae dissimulationis genus, quod Apuleius affabre callet, quodque nos inducit ut cum scriptore plerumque consentiamus. Is enim omnia nostra studia in se convertit, nescio qua singulari agendi vivendique ratione, quae subito per sermonem perficit, qui multiplex autem ac varius scribentis indolem difficile et morosam prae nobis ostendit. Haud dubium est quin Apuleianum scribendi genus rhetoricae fuce illum sit: neque mirum, quum et tempora in hoc vitium prona laberentur, et Frontonis genus calamistratum sive

ad pompam perfectum, vel maxime esset in more. Apuleius a Frontone, in eadem secum Africa genito, haud pauca mutuatur. Sed quum multa a *flosculis* *siccisque sententiis* *obsoletorum verborum* *novatoris* sumpserit, et in aetatis consuetudinem deflexerit vel nimis sibi non congruentis, Apuleius, ingenium vere ex se fertile, paene suus est in narrando, idest in eo sermone texendo conficiendoque qui, mira arte politus, iudicium elegans et sensum et iucunditatem pree se fert. Quod videri potest et in libro de *Magia*, in quo vero sermo simplicior sincerorque apparat, et in reliquis scriptis, ubi a communi ratione vel maxime abhorret.

Legi, per hosce dies, denuo *Apologiam*, cuius lectio valde me movet. Placet enim illa dexteritas et versutia qua, petitorum consilia praeripiens, actores revincit et debilitat; probatur mihi ille sonus iocularis, quo liber totus est perfusus, quoque et seria per facetias describuntur. Ne illis quidem locis communibus offendor qui, etsi aliqui ut intempestivos vel praelongos vituperent, nescio quid gratae novitatis tribuunt sermoni, quum rem praesentiorum fere reddant. Ipsa quidem pingendi ars, qua Apuleius, ut pictor egregius, colores dispergit, nonnulla quaedam obumbrando, alia vero clariore lumine exprimendo, quamque non defuerunt qui vel fastidiendam arguerent, magnopere me delectat. Quid enim iucundius salsiusve illis argutiis, quas auctor in suam orationem saepenumero inducit? Quid utilius doctiusve eis rebus excerptis, quas in omni quaque pagina offendis? Quid pulcrius miriusve illa sermonis varietate, modo tenui, modo inflata, modo portentosa et quasi abnormi, qua scriptor inventionis fecunditate merito commendatur?

En quibus ipse commoveor admirationeque afficio, dum *Apologiam* perlego, illam idest orationem, qua Apuleius adversariorum crimina facile dissolvit, quamque non eam Sabratae habitam eisdem verbis coram Claudio Maximo, Africæ proconsule, diiudicare debemus, sed potius ex integro conflatam, perpolitam, rescriptam, ut rhetoricae artis specimen quoddam ostenderet. Inest enim in ea tanta vis mirificorum, tanta disserendi subtilitas, tanta orationis ornamentorum diligentia et morositas, ut vix ullum inveniri posse arbitrer quin huiusmodi lenociniis, immo fere artificio capiatur. (1)

Illud autem admirabilius est eoque propensiorem animum ad auctorem flexit, Apuleium in moribus effingendis nimia esse audacia atque ubertate, ita ut eos copiose sub aspectum subiciat. Tantus est enim eius in hoc genere usus et dexteritas, tam perridicule tractat res et mores, tam penitus humana vitia investigat denudatque, ut iure dixeris id sibi propositum, omnia quae in rerum natura sint, in risum vertere, aequa atque in intimum pectus inspicere ut aeterna vox miserationis inde resonet. (2) Fit autem, haud raro, ut nimis argutiis arcessitisque dictis indulgens, eius oratio frigeat et sub contrariis, plenis manibus effusis,

(1)... «Aber dieser Stil ist ein künstlich gemachter; er will vor allem pikant sein und muss daher das Einfache und Ungesuchte verschämen... Auch Apuleius... gebraucht er reichlich rhetorische Figuren, poetische Wendungen, geschraubte Phrasen und eine stark aufgedunsene Redeweise. Durch alle diese Mittel stürmt er auf den Leser ein und reizt ihn». Cf. SCHANZ, *Gesch. der Röm. Litter.*, dritter Teil, pag. 141, München, 1905.

(2) Cf. E. COCCIA, *Romanzo e realtà nella vita e nell'attività letteraria di L. Apuleio*. — Catania, Battiatò ed., 1915.

languescat; quod plerumque accidit quum, contra disputantes debilitare volunt, auditorium in suam sententiam

DE IESU CHRISTO MORIENTE

*Quum crucis appensum fatali in robore Iesum
Golgotha ab elato conspergit vertice, pallens
Montem Mors subiit, sed eam restare propinquam
Ad vitae Auctorem puduit, mansisque retrorsum.
Dumque gradum trepidis sistebat sensibus, haerens
An saevo proprius Ligno succederet, antrix
Et necis insontis fieret vesana Theandri,
Lenibus a Divo verbis Patiente vocatur:
« O Mors, eia! crucem festina accedere inani
« Absque metu; caeli reputas cur frangere iussum?
« Percute me raptim, dimitte et corpora letho ».
Iesu mandatum mox conficit Atropos, Illum
Verberat et rigidae lethali cuspidis ictu.

Auctorem Natura suum tunc caede peremptum
Collacrymat: subito tectus velamine sol est
Sanguineo: densa caelum caligine septum
Perterret gentes: horrendis motibus orbis
Concutitur: fracto quatuntur culmine montes.

Ast dum tacta gravi luctu confringitur ipsa
Rupes, cor tenerum quae carnis habere videtur,
Aspera ceu rupes durescit santis iniquum
Cor, nec eum sceleris patrati poenitet unquam.

O Iesu mitis, nobis ignosce, rogamus!
Tolle nefas! Dulci, quo ardescis, amore, Redemptor,
Saxe corda velis tandem mollire, liquecant
Quae lacrymis, nostrum sic ut seclus omne pietur.*

SEON.

flectere vel hilaritatem ei movere studet. (1)

Attamen, per iocos salesque qui eius orationem implent, per contraria et le-

pide dicta, quibus auctor utitur, per imagines ridendasque partes ab eo inventas, manifesto Apulei ingenium apparet. Ex quo nihil mirum si cives amplissimis laudibus extulerint, et docta antiquitas posuerit signa effigiemque inter ea poetarum servaverit, quibus raro contorniati romani decorantur; eodem modo ut nihil miramur quod aetate quae a litteris renatis appellatur, una cum optimis antiquis scriptoribus ipse resurrexerit.

Diximus iam in moribus fingendis Apuleium nulli esse secundum. Et merito: quid enim felicius lepidiusve illa rabularum descriptione, qui solent linguae suae virus alieno dolori locare? (2) Nempe Apuleius acerbe in causidicos invehitur, quorum mercennariam loquacitatem vituperat (3) quum dicit omnia ab eis utiliter blaterata ob mercedem et auctoramento impudentiae dispensa haber. In qua obiurgatione perseverat, modo maculas aut dishonestamenta eis obiciens, modo facundiae ostentationem et gloriae cupidinem; quamquam vero ad-

mirari non desinit illum Avitum procuratorem, in quo omnes fandi virtutes paene diversae congruunt, cuiusque oratio

(1) Cf. COCCIA, loc. cit.

(2) V. *Apolog.*, 3.
(3) Ibid.

undique est perfecte absoluta, ut in illa neque Cato gravitatem requirat, neque Laelius lenitatem, nec Gracchus imperium, nec Caesar calorem, nec Hortensius distributionem, nec Calvus argutias, nec parsimoniam Sallustius, nec opulentiam Cicero. (1)

Quid illo degulatore naturalius feliciusve expressum, qui omnia in paucis annis... studiose in ventrem condidit et omnimodis conlurchinationibus dilapidavit ut crederes metuere, ne quid habere ex fraude paterna dicereatur? (2)

Quis potest rectius illius anus imaginem ac formam describere, quae (3) busti cadaver extremum et vitae dedecus et Orci fastidium solum, ante ipsas fores curvata gravi senio, latrones singulos, stipatis artibus derepentes, adit? Quam imaginem primus, quantum scio, vir litterate peritissimus Cocchia, (4) cuius merita erga philologicas disciplinas nemo est quin noscat, opportune et subtili iudicio cum illa anu confert, quae in fabula miliesia a Manzonio composita seipsam consumit, quod molestis latronibus debet cumulate satisfacere.

Hos atque alios expressos mores ac naturas in Apulei scriptis facile est invenire. Praetermittere tamen non pos-

(1) *Apol.*, 95.
(2) *Apol.* 75.

sum quin hoc breviter addam quomodo ille morem vitiumque ebrietatis descripsit ac notaverit. Nec indagatio erit supervacanea, quippe quae spectet et

OB FESTUM ARBORUM

*Salvete, arbusta a pueris hic consita! Caelum
Vos utinam irato protegat a Borea!
Vos glacie ne laedat hiems, ne Sirius urat
Ignibus aestivis! Imber et unda frequens
E caelo vestras radices irriget imas,
Et virides frondes mulceat aura levis!
O utinam surget paucis volventibus annis
Huncque locum decoret frondea vestra coma!
Haec precor ut pariter crescat valeatque iuventus,
Atque suis decoret laudibus Italiam!
Hic pueri, nunquam si vultus squaleat, atque
Si roseo semper risus in ore mietet,
Errent, aut viridi vestro sub tegmine ludant,
Sed tamen a vobis quisque manum teneat!
Quantae iam curae fuerint tibi rura memento,
Itala terra; ferax tunc, opulenta, potens,
Iura dabas populis; ingens tua gloria fulsit;
Hic studia atque artes tunc viguere bonae,
Cum rudibus gentes circum te moribus essent;
Commovit nomen pectora cuncta tuum.
Ubere tam felix quae terra? Ubi mitior aer?
Frugiferae tot ubi templa stetere Deae?
Quid dubitas? Iterum vis dives, fortis in armis
Atque potens fieri? Curva ad aratra redi.*

R. CASTELLI.

ad multiformem eius verborum copiam et rerum novitatem felicitatemque inventionis illustrandam.

(3) V. *Metam.*, 4, 7.
(4) V. E. COCCIA, *Romanzo e realtà*, pag. 268.

En Crassus ebriosus et vorax, *ambabus malis expletis*, quem nobis Apuleius exhibet. Videbitis quibus imaginibus coloribusque homuncionem hunc ineptissimum, vino tantum et gulae detitum, depingat. In hac hominis forma reddenda cui, ut ita dicam, libentissime manum auctor admovit, venustissimam imaginem expressurus, celeritas eius ingenii patefit qui, nullo vinculo artis et verecundiae cohibitus, per prata florida et gemmea inventionis libere vagatur lepidasque voces inducit, ac materiam ita variat exornatque, ut in ea contemplanda cum risu allecti moremur:

« Testimonium ex libello legi audistis *gumiae* cuiusdam et desperati lurconis Iuni Crassi (cap. LVII);

scilicet eum, cum Alexandreae symposia obiret;

est enim Crassus iste, qui non invitus de die in ganeas conrepat; in illo cauponii nidore;

in taberna vinaria sedens;

est quidem Crassus iste summus helio et omnis fumi non imperitus, sed profecto pro studio bibendi, quo solo censemur, facilius ad eum Alexandriam vini aura quam fumi perveniret.

Nisi forte Crassus non in cubiculum reversus perrexit, sed suo more recta ad focum (cap. LVIII);

dum non potest nec in testimonio dando discedere longius a culina.

Dico Crassum iamdudum ebrium stertere, aut secundo lavaero ad repotia cenae obeunda vinolentum sudorem in balneo sudare;

sed fortasse nec tantulum potuit ebria sibi temperare, ut hanc horam sobrie exspectaret;

caput iuvenis barba et capillo populatum, madentis oculos, cilia turgentia, rictum « restrictum », salivosa labia, vocem absonam, manuum tremorem, ructus spiramen. Patrimonium omne iam

pridem abligurrivit, nec quicquam ei de bonis paternis superest, nisi una domus ad columnam venditandam... nam temulentum istud mendacium (cap. LIX); mendacium tam stultum; et Crassum testimonii sui dedecore prostitui; tamen testimonio Crassi, cuius obliuise faecem videbant (cap. LX) ».

Crassus iste, homo nequissimus, ita in libro *de Magia* pingitur. Fuit enim accusator Apulei, cui obiurgavit quod in sua ipsius domo sacra cum Appio Quintiano amico factitaverit: « idque se ait Crassus, quamquam in eo tempore vel Alexandreae fuerit, tamen taedae fumo et avium plumis comperisse ». (1) In eum, ut iam vidimus, Apuleius asperime invehitur, eiusque ludificans petulantique lingua consectans ligurritionem et temulentiam significat: quo ludibrio ipse ego quidem nescio quid acerbius mordentiusve inveniri possit. Nempe hoc modo eum sugillabat et exhibebat auditorio deridendum.

Forsitan id erit opportunum cognoscere, quantum ad eiusdem scriptoris dicendi genus pertinet, quid inter hunc Crassum *gumiam* aliosque temulentos homines intersit, quos *Metamorphoseon* libri nobis exhibent notatos. Sed de hoc alias videbimus. (2)

Scripsi Casertae, Id. Mart. a MCMXVI.

MARCUS GALDI.

(1) Cf. cap. LVII.


(2) Ni fallor, Crassus Apuleianus, de quo supra diximus, illius accusatoris criminisque falsi auctoris Simonis paene mores refert, de quo agitur in quadam Lisiae oratione πρὸς Σίμωνα ἀπολογία = defensio contra Simonem. Hic enim, duobus his vitii indulgens, arrogante et ebrietati (ὑβρις et παρονία), calumnias instruit et facta texit: δσα δὲ εἰς ἐμὲ αὐτὸν ἔξημάρτηκεν, ἥγοῦμαι ταῦθ' ὑμῖν προσῆκειν ἀκοῦσαν... ἐλθὼν ἐπὶ τὴν οἰκίαν τὴν ἐμὴν νύκτως μεύων». — Ebrietatis mentio plurifariam occurrit alio: § 12, 40, 42. — Cf. *Lisia, orationi scelte a cura di L. CASTIGLIONI*. — Remo Sandron, Palermo, 1913.

Ingenuarum artium specimina

G. AUBERTI TABULA, COENAM DOMINI REDDENS.

In sublimi illo Dominicae supremae Coenae arguento reddendo, in qua Eucharisticum mysterium a Christo ho-

Evangelica narratione aliquantum recessit, talem vero composuit, quae non solum a veritate aliena videretur, sed conspicienti cuivis poëticum pietatis religionisque flamen facile infunderet, opatumque operis finem assequeretur; quemadmodum ex se ipsis socii lecto-



minibus oblatum est, pictores plures, iisque celeberrimi, sunt periclitati; inter quos Leonardum illum Vincium memorare iuvat, qui famosam omnibusque notam muralem tabulam in urbe Mediolano descripit. Recens scaenam suavisimam et G. Aubert coloribus tractavit; qui si in ea repraesentanda ab

resque nostri indicare poterunt, quorum oculis in nostris paginis eam hodie libenter subiecimus.

X.

Malo pater sibi sit Thersites, dummodo tu sis Aeacidae similis, vulcanaque arma capessas, Quam te Thersitae similem producat Achilles.

IUVENTAL., Satyr., VIII.

PRO IUNIORIBUS

Sit gratus erga Magistrum discipulus.

Praeceptores suos adolescens veneretur et suscipiat, quorum beneficio se vitiis exuit, et sub quorum tutela positus exercet artes bonas. (1) Quis est nostrum liberaliter educatus — ait Cicero — (2), cui non educator, non magister suus atque doctor, cui non locus ille mutus, ubi ipse altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur?

Praeceptorum et medicorum — inquit Seneca — (3) magna caritas, magna reverentia sit. Ne dicas nihil quidquam his debere te, nisi mercedulam. Nam primo quaedam pluris sunt quam emuntur. Emis a medico rem in aestimabilem, vitam ac valetudinem bonam; a bonarum artium praceptor, studia liberalia et animi cultum. Itaque his non rei pretium solvit, sed laboris, quod deserviunt, quod a rebus suis avocati nobis vacant. Deinde et medicus et praceptor saepe in amicum transeunt, et nos non tam arte, quam vendunt, obligant, quam benigna et familiari voluntate. Hoc quum factum est, et tam medico quam praceptoris pretium operae solvit, animi semper debetur. In optimis enim artibus quae vitam conservant aut excolunt, qui nihil se plus existimat debere, quam pepigit, ingratus est.

Quum Pythagoras accepisset Pherecydem, qui eius praceptor fuerat, in insula Delo gravissime aegrotare, confessim ex Italia in insulam navigavit;

(1) SENECA, *Epist.* 83.

(2) *Pro Plancio*, 81.

(3) *De benef.*, VI, 15 et seqq.

ubi quum aliquandiu seni fomenta adhibueret studiose, nihilque omisisset quo ad pristinam valetudinem eum revocaret; tandem senectute et morbi vi superatum sedulo sepeliit, et postquam ei, tamquam patri filius, iusta persolvit, rursus in Italiam reversus est. (4)

Alexander Magnus eloquentiae magistro usus erat Anaximene Lampsaceno. Quae res postmodum Lampsaco saluti fuit. Eam urbem diruere statuerat Alexander, quod a partibus Darii adversum se stetisset. Itaque conspicatus Anaximenes e muris prodeuntem obviam sibi, nec dubitans quin veniret deprecatum pro patria, per Deos iuravit se non facturum quod ille petisset. Quo auditio, callidus orator regem rogavit ut Lampsacum dirueret. Iurisiurandi religione tactus Alexander, et captus praceptoris quondam sui sollertia ad servandam patriam, Lampsacenis delicti gratiam fecit. (5)

Stagiram quoque urbem, a Philippo patre eversam, restituisse dicitur exoratus precibus Aristotelis, eius urbis civis, quem fere semper secum habuit, donec post mortem patris rerum potitus Asiam traiceret. Postea quoque inter bellum curas non omisit magistrum venerari, crebroque per litteras compellavit, ut ab eo et disciplinarum sublimium arcana et morum pracepta acciperet.

Quum Tyri obsidio non pro spe Alexandri procederet, ne segniter adsidere uni urbi videretur, operi Perdiccam Craterumque praefecit; ipse cum expedita manu in Arabiam profectus est. Ibi magnum in periculum venit propter paedagogum suum Lysimachum, qui co-

(4) DIOD. SIC., VI.

(5) PAUSAN., VI; VALER. M. VII, 4.

mitari eum voluerat, iactans se neque animo inferiorem esse, neque aetate gravorem Phoenice, olim Achillis primum educatore, deinde ad bella comite. Nam ubi ad montana ventum est, et, relicitis equis, iter pedibus faciendum fuit, Alexander, nocte ingruente et hostibus circa vagantibus, fatiscentem ac defessum senem deserere haud sustinuit; sed et verbis excitavit et adminiculo corporis sui adiuvit, ita ut ab exercitu suo, qui longius praecesserat, distractus, noctem egerit in tenebris et acri gelu, locisque asperis.

Optime denique Antoninus Pius, Romanorum Imperator, quocum concludemus. Is, quum M. Aurelius, qui postea ipsi successit, mortuum educatorem suum fleret, eumque aulici ministri revocarent ab illa pietatis declaratione: « Permittite illi — inquit — ut homo sit: neque enim vel philosophia vel imperium tollit affectum ». (2)

FORFEX.

COMMUNIA VITAE⁽¹⁾

Ad buccinae clangorem fit a vulgo circulus circa mulierculam loquacitate nobilem et procacem, eamque vel ad subitum et extemporale carmen ingenio projectam. Nihil imo eius ingenio promptius sive quum futurae sortis carmina divenditat, sive quum aeruscula simul radet ex obviis, vaticinii mercedem. En, altera manu volam adstantium explicat, in qua praesensionum vestigia notet; alteram... furto flagrantem in marsupium infert. « Singaras latine dici posse

(1) IUL. CAPITOL. in Anton. Pio, X.

(2) Cfr. super. fasc. II.

aliter, saganas istas Aegyptias incerto lare mulieres non tam vaticiniis, quam furacibus manibus quaestuosas, equidem reor, a Singario, nobilissimo quondam oppido Mesopotamiae; quod ad Euphratem adsitum et latrociniis infestum Antonino Caesare deletum a Romanis legionibus fuisse traditur. Singario diruto, caput gentis excisum, senatus extinctus, primores civium sublati, postremae plebeculae reliquias in semen ac nomen generis reservatis. Eiecti proinde natali solo, proximos fines, Syriam, Palaestinam Aegyptumque diversi tenuerunt errores ac vagi, nulla certa sede, nullo cum ceteris hominibus stabili commercio rerum: non communione sermonis, non cultu legum, non sacrorum societate, nulla neque verecundia neque fide: in manu recentissimum furtum, in lucro mendacium impudentissimum, eruditio gentis ad sapientiam. Foeminis institutum idem quod viris, confidentia par, similis audacia, germana fraus, gemella calliditas: incertae degunt et vagae feruntur quolibet, ut dicebam. Ubi nox oppressit, hic sarcinulis et infantibus depositis castra figunt, sicubi patula quercus in solitudine relicta, vel devia spelunca nocturnae quieti praebuit opportunum diversorum, et latrocino latrabeas hospitales ». (3)


Iamvero tunicatus popellus alio divertitur: « est profecto Funambuli spectaculum admirabile et tremendum, ubi vel procera, vel iusta magnitudine vir per extensem funem non graditur modo, sed vibrato sursum corpore, pedibusque micantibus, cytharaedo personante, salit ad numerum: ubi adiunctis ad plantas orbiculis et muricibus, tabulisque suppositis ingreditur tamen, ac cytharae

(3) STEPHANIUS, *Posthumae Prosae*, XI.

praeueenti molliuscula saltatione respondet. Ubi, mustelarum aut anguum modo, pectoro prono projectoque perreptat ad nervum, ubi resilit, ubi suspenditur, ubi ex simulata prolapsione sese refert in gradum ». (1)

*Qui novus hic caelo suspendit Daedalus alas?
Sed vereor ne sors Icaron esse probet.
Aspicis ut tenui feliciter audet in aura
Ceu subeat stabili ludicra bella solo?
Fune super tereti tutissimus errat, et artem
Ludere dum gestit, luditur arte timor.
Hic choreas impune ciet, se seque supinum
Librat, et intorto turbine corpus agit.
Argutat pedibus, tremuloque per æra saltu
Tollit erectus, sed tamen inde redit.
Nec mora, nee requies: iterum ter pectus in altum
Surgit, et in gyrum ter vaga membra rotat.
Corpore dum pendet, sola cervice tenet se,
Et vere ad restim colla redacta gerit.
Tum simulat casum, populoque timente, timorem
Ridet, qui populi vota timere facit.
Quin capito obverso, totus pede pendet ab uno?
Dumque pedem absolvit, dextera supplet open.
Iam iam casurus redit incertumque theatrum,
Quas iubet in partes, speque metuque trahit.
Nec solus pendet, sed enim pendentia secum
Uno ex fune tenet millia multa virum.
O viles animae, et venalia pectora parvo,
Saepe quibus merces esse ruina solet!
Quum funem aspicitis, potentiam, dicite forsan:
Ultima iam vitae linea ducta meae est. (2)*

A. FULCONIS.



ANNALES

Europaeum bellum.

Acerrimum illud ac paene incredibile certamen, quod Germani in Gallos ad Virodunum, per Mosae fluminis regionem, intulerunt, iam fere per dies qua-

(1) Ex *Palatio Regiae Eloquentiae*, exerc. IV, lect. 7.

(2) V. GUINISIUS, *Epigr.* 37.

draginta cum immensa tum hominum tum rerum locorumque iactura variaque fortuna producitur. Si enim oppugnatores in conatibus suis, ter quaterque incredibili impetu renovatis, aliquem successum celebrarunt, hic neve diuturnus exstitit, neve certe aleam universae rei subiit ut decretorii quidquam pareret. Communis ideo Mars est adhuc concertationis, et fortuna needum discrimen facit, utri datura sit victoriæ. Gallorum tamen renixus admirabilis spem fovet immanis belli limina saltem fore ut tandem constituantur, inter quae experiantur supra. Haec quomodo in foederatorum populorum bonum facilius cedere possint, cogitata sanctaque esse dicuntur in conventu eo, qui Lutetiae Parisiorum die xxvi superioris mensis Martii habitus est a Gallicis administris cum legatis Angliae, Italiae, Serbiae, Russiae, Iaponiae et Lusitaniae.

Namque huic etiam genti Germania primum, ac deinde Austria, bellum indixerunt, occasionem sumentes, ex requisitione, seu potius addictione sibi a Lusitano gubernio facta navium Teutonicarum omnium, quae in Olisipponensi portu essent.

Quamquam, quae bona exspectanda ab hominibus, dum simultates et odia bonae voluntati non fuerint subiecta? Immo vero civilis Europæ mors, a se ipsa concita; quemadmodum, paterna sua caritate, optime monuit Benedictus XV P. M. in recentibus litteris ad Cardinalem Urbis Vicarium missis, quibus Christifideles iterum iterumque hortabatur, ut per opportunum hoc et acceptabile quadragesimale tempus eo peculiares preces Deo effunderent ad tantæ ruinae extremum avvertendum. Quibus quidem in litteris Proximus Di-

vinae Sapientiae Minister, ea revocans quae alias conclamaverat, rationem repetebat unicam restituendæ pacis; ut scilicet, mutui interitus propositis abdicationis, sive recta sive indirecta via cuiusque partis optata expresse significarentur, utque populorum appetitiones pro aequo et posse penderentur, in aequique et boni, magno Nationum consortio communis, favorem sacrificia perferendo quae et debentur et necessaria sunt tum amoris sui, tum commodi singularis. Hoc, inquam, iter unum ad horrendum, iuxta rationes iustitiae, conflictum dissolvendum, utque ad pacem deveniatur, non quidem alterutri parti proficiam, sed omnibus utili, ideoque et legitimam et diuturnam.

Iamvero, ut eo redeat sermo, unde processit, — hoc es tad eventuum recensionem, qui recens in lacrimabili hac tempestate acciderunt, — Russicam progressionem notabimus tum in Asia tum in Europa. Illic enim in Tauro Armenico Bitlis oppidum occuparunt, optimum ad Mesopotamiam transitum, et Rizam urbem; in Perside Tenneh, Keriko, et Ispahan, quondam regionis caput; in Caucasi locis Mamahatun, traiectoque Baltatchi flumine, Darassi; in pontu denique Euxino, urbem Off. Hic autem, in Galitia, ex Austriacorum manibus extorserunt Uscieszko arcem, vimque intulerunt iuxta Dwinae flumen, acriter obstantibus Teutonibus, qui nunc cum hostibus ad Narocz lacum vehementer decertant.

Angli, vice sua, ad Yprés in Belgica non sine felici exitu pugnarunt, et in Africa cum Senussis illis, rebellibus sibi factis, manus conseruere, eosque fuderunt ad Solum civitatem, ac verte runt in fugam.

Italis intra nivales adhuc perseve-

rantes procellas fortiter resistendum fuit contra Austriacorum conatus amissa loca per alpes recuperare studentes. Atrocissima proelia, quorum alterum in parvo Pal per triginta horas productum, alterum apud Goritiam per horas quadraginta, non modo Italos ab acquisitis locis removere non valuerunt, immo vero occupationis regionem amplificarunt. In nostrorum enim potestatem ultra venerunt Marmoladae montis pars occidentalis, loca alia in Tofanis circumque Zagora, Podgora, Kuk, Oslaviam, Sanctum Martinum, et in Plezzo valle; hostium denique opera in Boite monte, ad tria millia circiter passum supra mari.

Si autem ad mare nos converterimus, — ut praetereamus infandas viatoriarum navium per subaqueos lintres insectationes, quarum victimæ quoque fuit pyroscapha Batavica, hoc est nationis neutram partem in bello obtinentis; pariterque hydroplanorum incursus, qui in Anglia praesertim, non sine insontium nece, facti sunt, — pugna navalis recensenda est in Germanico mari. Eius vero exitus anceps: si enim cursorium Germanicum navigium Greif oppositum sibi Anglicum per silurum demergere valuit, circumdatum deinde, ne hostium praeda fieret, seipsum incensis pyrogranis perdere coactus est.

*
**

Rumeni, qui adhuc neutros sese gerunt, die II mens. Martii civili luctu percussi sunt ob mortem Elisabeth quondam reginae; Caroli scilicet viuduae, qui, nomine I., patruus fuit Rumenorum nunc regis. Mulier modestia ac pietate insignis evasit atque litteris non minus, quas impense coluit sub haud ignoto nomine *Carminis Sylva*.

**

Civile Mexicanorum bellum eo devenit, ut Septentrionalis Americae Fœderatae Civitates armis regionem invadere demum constituerint; iamque prima agmina fines praetergressa sunt insecantes Villa ducis asseclas, qui et Columbus urbem oppugnare non dubitarunt.

**

In Sinis optimus ille Yuan-Shi-Kai a se restitutum regnum iterum abrogavit, ut ad reipublicae formam rediret. Videtur tandem sibi, «et Deo et eius inimicis» infenso, a munere abdicandum tandem esse; quod alter a praeside, Si-Yun-Nun, gerendum suscipiet.

Kal. Aprilibus MCMXVI.

POPLICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

Non erit abs re, quia in superiore fasciculo, superveniente quadragesimali tempore, de ieiunio atque abstinentia scripsi, dicere me hodie nonnulla **de Paschalibus dapibus**; quin etiam non ingrata fore adsiduis lectoribus meis puto: de Badaiocensi autem anonymo meo, certe scio.

Atqui ex huiusmodi cibis et escis, alia communia cum Hebraeorum Paschate invenio, alia a subsequentibus moribus inducta et prorsus a priscis illis contraria. Sunt illa azyma et agnus; haec succidia omnis generis et ova, igni præsertim solidata.

Quamquam et diversa exstitit antiquitus tum agni tum azymorum ipsa comparandi ratio. Scriptum enim præcepto erat: «os non communuetis ex eo»; dum nos, contra, agnum paschalem in

deliciis habemus, potius quam « integrum assum igni» et «cum lactucis agrestibus», alia longe ratione comminutum et coctum; imo in ritu, ut ita dicam, saltem apud nos Italos est, cum minutali conspergere, seu iusculo (et equidem id *brodetto* dicimus) quod ex ovo fracto conficitur cum succo mali citrini commixto.

Azyma autem in placetas reducere nos solemus, fortasse quia stomacho nimis illa dura. Fiunt igitur istiusmodi escae ex selecto polline, fermentum plus minusve supponitur, addito, ubi concreverint, saecharo, anisis, cinnamono, ovis collisis, aromatibusque prouti libuerit, a coriandis ad muscatas nuces et amygdalina quaevis, ad avellanas, ad pineos nucleos et salgama pinea, medicea, citrina, cydonia. Quae ubi subacta potenti manu vel fuste versataque diu fuerint, fermento iterum creduntur uti crescant. Post haec in testa, sive in ferreis aut cupriis vasis, stamno bene velatis et oleo seu butyro oblinitis, massa reponitur, et coquenda elibano traditur.

Ovorum simul et succidiarum usus in Paschalibus dapibus originem referendam esse autumo quadragesimali ieiunio, et huius generis ciborum abstinentiae, quae integra summaque religione quondam colebantur. Nil mirum igitur si in «Paschali laetitia et libertate» primus locus daretur omnibus e suillis, quae in carnario, ovisque qui in gallinario tanto iam tempore continebantur.

Post haec, bene vobis cum farcimine et lucanica, tomaculo et tomacina, cum sumine et glandionida et perna, neve inde subsequatur oporteat.... cicinum oleum.

**

Sinatis, quaeso, ut in Paschalibus hodie sim totus, moremque commemorem

Florentiae pluris habitum, tum quia summa humanissimae illius civitatis religione ac tum urbani quam suburbani populi frequentia servetur, tum quia aliquid præferat in ipso ritu delicatum et elegans; denique quod melius, post notas hasce declaratrices, intelligetur carmen exquisitissimum **de Paschatis Florentina columba** ultro ad nos missum, pro benevolentia sua, a praeclaro poëta laborisque nostri socio Francisco Tranquillino Moltedo; quodque proxime edemus.

Res ita se habet. Gens, cui *De' Pazzi* cognomen, currum avitum quemdam mole conspicuum, ligneis parietibus circumseptum a centro rotarum ad fastigium turris, cui sunt quasi circa gradus, non modo possidet, sed foedere percusso iam aliquot ab saeculis cum patro Senatu et Consulibus urbis, ad peculiare officium quotannis adhibet. Ingentis molis exteriores parietes describuntur picturis manu veterum, quotquot fuerunt, artificeum celeberrimorum ductis, aureis meandris intersectis, aere caelato per quaque disposito. Omnia vehunt octo immanes corpore candidi boves, purpureo fraeno ducti, vittisque e flore et frondibus per capita, per terga, per armos dimissis decori. Talis pulchra stat delata moles patentem ante portam principem templi maximi Florentinorum, cui nomen «Sanctae Mariae a Flore», Sabbato Sancto; eo quidem ritu, ut coram stet quum immineat intus ad altare cantandus hymnus: «Gloria in excelsis Deo»; quae in verba e turri Giottiana aera campana percussa aërem sono complent. Tunc e curru papyracea nitrate oppleta pulvere crepitacula repente succensa fragorem cident, radiusque micans (hunc *columbam* vocant) per fenestram de pariete currus, quae templi portam

respicit, ferrea per fila iam ante disposita erumpens, templum ingreditur trahans aërem, altare maximum petit, redditque, semet in ostiolum sui carri item condere festinans, et turba undeque plaudente, aclamante, magnamque frugum omnium copiam sibi pollicente, si abiens et rediens nihil immorata speciosa avis sua munera obierit. Currus posthaec in aliam urbis plateam, prope aedes *De' Pazzi*, in eorum honorem incensae pyrogranae spectaculum renovat; inde in locum suum revertitur, magna comitate virorum puerorumque caterva; ibique sequentem in annum asservatur.

Iocosa.

In caffearia quadam taberna adulescens quidam scitolus de omnibus rebus... et de quibusdam aliis superbe contumaciterque et disserit et statuit. Proximus senex diurna legens assidet; qui tanta demum arrogantia pertaesus, ad eum conversus, hisce alloquitur :

— Si isthac aetate tua iam doces, ec quando, quaeso, disces?

Protervi debitoris agendi ratio.

— Quum creditor ita sit projectus ad audiendum, ut scriptis de solvenda pecunia apud me instet, actum est; frustra a me debiti pensionem exspectaverit!

— Quando autem scriptis abstineat?

— Tum vero ego exspecto dum scribat!

Aenigmata

Ex hasta bene disposita recteque librata
Aes tenue, ut filum, non sine fraude fluit.
Quod dum in claustra domus extenditur ima
[deorsum,

Fraude viatores vult retinere sua.
In pede curvatur ferrum, in quo appenditur
[esca,

Quae prædatorem mulcet odore gregis.
Dum venit ut gustet lac pressum, cuspis in hasta
Fertur ad astra celer, prædoque præda ma
[net.

Huic non pesca nocet, ferrum nec laedit adun-
[cum:
Praedonem miserum vexat acerba fames.
Hinc tentat fraudes iteratis vincere gyris;
Sed tamen effugio ianus nulla patet.
Hoc hamum dicens, verum dixisse putabam,
Atque aenigma aliis me reserasse statim.
Sed mihi dixerunt: « A vero longius erras;
A recto sensu mens tua prorsus abit ».
(Aenigmata in superiore fasciculo proposita
his respondent: 1] vulgo *Rebus: Terminus esto*
triplex; medius, maiorque, minorque, 2] *Gal-gal*).
IOSFOR.

ROMA SACRA

Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

Dubia circa solemnitatem festorum externam.

In decreto S. R. C. d. xxviii mens. Octobris MCMXIII (tit I, n. 2) legitur: « Ubi solemnitas externa festorum quae hucusque alicui Dominicæ perpetuo affixa erant, in ipsa Dominicæ celebratur, de solemnitate festi duplicitis I classis permittuntur Missæ omnes;... de solemnitate vero festi duplicitis II classis permittitur tantum unica Missa solemnis vel lecta ». Quaesitum inde a S. C. est: I. An solemnitas externa cum enunciato privilegio recolenda in Dominicæ, cui prius affixum erat festum, intelligi possit celebranda tam in praefata Dominicæ quam in altera Dominicæ diversa festum inse-
quente; et responsum affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

II. An in Ecclesiis ubi praefata solemnitas externa agitur, Missæ a, memorato decreto concessae de ipsa solemnitate celebrari tantum possint, vel etiam debeant; et responsum pariter affirmative ad primam partem, negative ad secundam.
(Ex decr. d. xii mens. Febr. MCMXVI).

Dé lampade coram Sanctissimo Sacramento.

Instantibus pluribus Ordinariis locorum, in quibus ad nutrientam lampadem coram SSmo. Sacramento ardenter, ob peculiares circumstantias, sive ordinarias sive extra-

*Inscriptiones de domo Allobrogica quae Se-
nis exstant. Collegit, latine vertit et
praefatus est I. B. BELLISSIMA. —
Senis, ex off. S. Bernardini, MCMXVI.
G. B. BELLISSIMA. La vendita della casa di
Tiberio Claudio Centumalo in Cicerone
e in Valerio Massimo. — Indidem.
Vinto! Romanzo moderno sociale. — Traduzio-
zione libera dal francese. — Augustae
Taurinorum, ex off. Salesiana, via Cot-
tolengo 32, 1916. (Ven. lib. 2).*

Libri dono accepti

FRANCISCVLI PRANDIUM (7)

pit dictis tuis, et quo magis in rem cogito...

FRANC. — Eo facilis concludis optimum esse consilium, ut solum prandentem relinquas. Nonne ita?

VINC. — Ita quidem.. At pullus ille Indicus!... Crucior bolum tantum mihi eripi e faucibus!

FRANC. — Malueris igitur aures tibi eripi ex capite?

VINC. — Tatae!... Colligo vasa et solum verto. (*Surgit a mensa sese ad proficiscendum disponens*).

FRANC. — (Hamum voravit; meus tandem est!)

Dum vero Vincentius, comitante Francisculo, ad fores tendit, Hippolyti redemptoris vox auditur, canens:

Ave felix creatura,
Quam produxit vitis pura,
Omnis mensa fit secura
Tua in potentia!

VINC. — Quomodo me hinc expediam?
Revertitur!

FRANC. — (Iterum iam ad idem saxum me fluctus tulerunt, neque amplius prandebō!)

HIPP. (ingreditur hilaris utraque manu amphoram gerens). — Hae urnae literatae sunt; ab se cantant cuia sint, et quoniam liquore flores tuos, Vincenti, sint aspersuræ! (*Mensae assidet*). Eia, commiles! Hanc urbem per gulæ vim expugnemus!

FRANC. (Vincentio, submissa voce). — Cura, ut aquam in eius vinum assidue infundas!

VINC. (item Francisculo, dum sellam suam procul ab Hippolyto ponit) — Dii

Mihi horror membra percipi-

De multis profecto asse-
rere non possum; de aliquot, utique.
(*Palumba ad aream venit!*)

Mihi horror membra percipi-

me infelicitent, si ego in os eius hodie
vini guttam' indiderim!

HIPP. (*missus circumspiciens*) — Ohe,
Franciscule, aurum ferculum hic appo-
situm non video, quod tantum tibi com-
mendavi.

VINC. — (Heu, heu!)

HIPP. — Pro certo habeo amico Vin-
centio pergratum ipsum fuisse futurum.

VINC. — Quae te harum rerum nunc
habet sollicitudo?...

HIPP. — Singularis enim mensae meae
ista res est.

FRANC. — Veniam, quaeso, mihi con-
cedas, domine mi.... Mens alio effluit.
Hospiti autem tuo prandium et sine au-
ribus proficiet.

HIPP. — Audistin? Sine auribus ho-
die erit tecum tibi comedendum.

VINC. in *Hippolitum intuetur pavi-
dus*. — (Iam symbola ostentantur...)

Quam infensus me observat!)

HIPP. (*panem abscissurus, id cum dif-
ficultate faciens*). — Intestabiles hi cultri
sunto, qui ne panem quidem tenerum
recidere valent!

VINC. — (At enim ista in me cu-
detur faba!)

HIPP. — Nos autem, Vincenti, mille
passus alter ab altero distamus. Age-
dum! Huc propius advenias... Concede
huc, inquam, ad dexteram.

VINC. — (Quid promoveam, miser?)

HIPP. (*videns Vincentium receden-
tem potius quam accedentem*). — Heo!
Tu nepam imitaris. Surdus es, an me
vis redigere ad insaniam?...

VINC. — Eia vero!... Adsum... Sed
malo in mensa libere gesticulari.

HIPP. — Ridiculum caput! Tibi pro-
lubito ares, occes, seras; quamquam ne-
scio, an demum eidem tibi metere possis!

VINC. — (Quadrigam si inscendero

Iovis, ne effugiam quidem hoccine in-
fortunium!)

HIPP. — At nimis diu sicci sumus.
Bibamus! (*Vinum sibi infundit post
Vincentium, qui aquam aggerere ei sata-
git*). Hui! merum mihi infuscas; quod
purum volo, ut pura amicitia est, quae
nos vincit.

VINC. — (Apage ab ista amicitia!...
Ut eius oculi micant igne!)

HIPP. — Amice, sodalis, bene nobis!

VINC. — Imo, optima nobis!

HIPP. — Quid tibi videtur de hoc
Phalerno?

VINC. — Nec plus ultra. (Haurio ex-
tremum!)

HIPP. — Iteremus igitur. (*Dum ca-
licem suum replet, Vincentius iterum
aquam apportat*). Abi ad Acheruntem
cum ista tua aqua! Mihi bibere decre-
tumne aquam hodiest?

VINC. — Vide, sis, quam rem tu ge-
ras: nimis enim concalueris.

HIPP. — Quin etiam calor inter po-
cula iuvat! Tu vero cibum ullum ne de-
gustas quidem.

VINC. — Falleris; vino et epulis
compleor.

HIPP. — Ah, ah! Recte sensi: pa-
tinae illi ferventi stomachum servas-
tum! (*Pullum Indicum significat, atque
inter sese prosequitur*): Pauper ille Fran-
cisculus secum rationes secreto putat.
Dixeris ei linguam fuisse excisam.

VINC. (*tremefactus*) — Quid mussitas
excidendi?

HIPP. — Papae! Quas habes teretes
aures!

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12
(doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mit-
tendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ⚡ ⚡

MONITUM

*Plures socii sunt, quorum hoc
Maio mense secundus explicit con-
sociationis annus, neque tamen sub-
notationis pretium adhuc solverunt.
Eos iterum iterumque rogamus,
ut quamprimum cum ad ministratore
nostro rationes suas exaequare
velint.*

*Neque supervacaneum erit in so-
ciorum memoriam — eorum pae-
sertim qui apud exteris gentes ver-
santur — revocare, id multifariam
fieri posse; scilicet et per publici
cursus mandatum, et per syngra-
pham apud aliquam nummariam
mensam Romae exigendam, et per
commissionem quoque apud extera
in Urbe Seminaria et Collegia, in
quibus omnibus clientes adnume-
ramus.*

*Quo denique omnia nobis expe-
ditiora fiant, litterae semper diri-
gantur ad JOSEPHUM FORNARI, Al-
mae Romae Moderatorem, (Roma,
Via del Governo Vecchio, 96).*

ALMA ROMA.

In Encyclice Epistolae
“Rerum Novarum”,
vigesimo quinto anniversario

Quinque et viginti anni elapsi iam sunt
ab ea die, xv scilicet Maii MDCCXCII,
qua Leo Papa XIII fel. mem., suam
Encyclicam Epistolam, *Novarum rerum*
nuncupatam, omnibus Patriarchis, Pri-
matibus, Archiepiscopis, Episcopis orbis
Catholici direxit de *Conditione opificum*.

Nulla fuit ex eiusdem Pontificis ce-
leberrimis epistulis, ni fallor, quae ani-
mos, excepta Bulla *Aeterni Patris*, adeo
ubique terrarum commoverit propter
argumenti assumpti novitatem, gravita-
tem, sapientissimamque explicationem.

Postquam nempe doctus Pontifex de
auctoritatis politicae natura et indele, de
libertatis humanae conditionibus, de so-
cietatis civilis ordine et regimine egerat,
quasi fundamenta argumenti iaciens at-
que firmans, rem in se aggressus est, mo-
numentumque exegit mirandum sapien-
tia, aeternum doctrina.

Novitas illa, quam dixi, nulla quidem
in natura rerum et in doctrinarum prin-
cipiis est, sed in rerum ipsarum mutata
indele, atque proinde in nova principio-
rum applicatione ad solvendas difficul-
tates ex novo rerum statu exortas, propter
industriarum in immensum evolutionem.